



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Jurisdictione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

NOTANDUM III. Delegatus causam ita subdelegare potest, vt sententiæ executionem sibi referret: quo casu non censetur iurisdictionem omnino à se abdicare, aded, vt si contra latam à subdelegato sententiam appellatur, ad ipsum deferenda sit appellatio. Idemq; dicendum est, si articulum causæ medium, v.g. litis contestationem, aut testium receptionem sibi reseruauit: Veruntamen, si articulus, quem delegatus sibi reseruauit, peractus sit, censetur officio suo functus, vt postea non ad ipsum, sed ad primum delegantem appellari debeat, vt hic docet Ioan. Andr. n. 1. Dominic. col. 2. §. Sed pone.

CAPITVLVM VIII.

Cum plures.

PARAPHRASIS.

Si duo, vel plures à Papa dati sint Iudices delegati, aut executores, hac forma, vt plures, vel singuli procedant; censentur habere iurisdictionem in solidum, ita vt etiam vnus solus, qui præoccupauit, mandatum exequi debeat: eoque negotium inchoante, alij se intromittere non possint; nisi ille infirmitate, aliâue causa impeditus sit; vel negotij expeditionem malitiosè differat.

SYMMARIVM.

1. Si plures in solidum sint delegati, quilibet cognoscere potest, & datur locus præuentioni.
2. Et vno illorum causam inchoante censetur iurisdictione perpetuata etiam quoad alios.
3. Si tamen simul omnes cognoscere causam incipiant, ab vno sine reliquis expediri non potest.

NOTANDUM Vn. Si plures iurisdictionem habeant in solidum, ita vt etiam seorsim eam exercere possint, datur locus præuentioni: neque alij licitè, aut vali-

dè se immiscant, nisi qui præoccupauit, exequi impeditus sit, aut malitiosè differat. Consentit l. 1. ff. de offic. consulis, & dixi de hoc in c. prudentiam, 2. 1. hoc tit. Videri potest Ancharanus not. 3. Ioan. Andr. n. 2. vbi ait, si delegatus, qui inchoauit, in remotas terras abiit, & causa expedienda esse existimetur, quòd collega eam assumere possit.

§. Iurisdictione.

SI ex pluribus in solidum delegatis vnus negotium inchoauit, censetur iurisdictione perpetuata etiam quoad alios; ita vt si delegans moriatur, itémque delegatus, qui causam præoccupauit, reliqui delegati eandem finire possint. Ratio reddi debet: Quia ab initio Iudices dati sunt cum quadam comunione, vt non solùm coniunctim procedere possint, sed etiam diuisim, & ita quidem, vt si is, qui præoccupauit, impeditus sit, vel longè abeat, aut moriatur, alter in eius locum succedat, & causam perficiat. Vide Ioan. Andr. cit. n. 2.

QVÆRES: Si secundùm dictam formam Iudices dati causam simul cognoscere incipiant, potèstne ab vno sine reliquis expediri. Resp. cum Lapo hinc n. 3. Non posse vnum eorum sine alijs non requisitis, nec impeditis procedere, quia sicuti vno inchoante ac præoccupante alij procedere non possunt; ita & omnibus inchoantibus, ac veluti occupantibus causam, vnus sine alijs procedere prohibetur.

Porrò quæ hoc c. dicta sunt, locum non habent, si commissio facta sit sub ea forma; Quòd si non omnes &c. vnus procedat: tunc enim singuli procedere non possunt, nisi in defectum aliorum: quare non datur locus præuentioni, cum non habeant iurisdictionem in solidum.

CAPITVLVM IX.

Si super.

PARAPHRASIS.

Sicuti gratia alicui à Sede Apostolica facta morte concedentis non extinguatur, tam-